FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Judæorum Christum In Carne Venientem Repudiantium Cæcitas, Ex Psalm. XVI, 2.3.4. Monstrata

Koitzsch, Christian Jacob

Elbingae, [1730?]

VD18 90820681

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202461

Visual Library

Franckesche Stiftungen zu Halle

63. B. 8.

Franckesche Stiftungen zu Halle

JUDÆORUM
CHRISTUM IN CARNE VENIENTEM
REPUDIANTIUM CÆCITAS,
Ex Psalm. XVI, 2. 3. 4.
MONSTRATA,
CUM AD

SOLENNIA ÆSTIVA GYMNASII ELBINGENSIS,

XIV. Sept. A. O. R. MDCCXXX.
MORE SOLITO CELEBRANDA,

PATRONOS ET FAUTORES

INVITARET
CHRISTIANUS JACOBUS KOITSCH,
GYMN. RECT.

ELBINGÆ,
Typis SAMUELIS PREUSSII.

63. 64
Summe Rev. Dn. Ex Antonio,
423
x 57

SI Codicis Sacri verſiones textui originali exacte ſemper reſponderent; minus ſæpe difficultatis in verbis ejus intelligendis lectores induſtrii haberent: quia vero a fontibus interdum longius receſſerunt; non mirum eſt, dari paſſim loca, quæ difficiliora intellectu videantur, clara autem & perſpicua ſint illis, qui, rite adhibitis interpretandi adminiculis, ad ipſos fontes curatis precibus ſolertique ſcrutinio recurrunt. Hujus eſſe generis arbitramur illa Davidis verba, quibus de ſtatu temporum ſuorum ita Soſpitator noſter eſt vaticinatus: * *Dixi*, inquit, *Domino: Dominus es tu: bonorum meorum non eges. Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Fluctuationem interpretum vel ex eo videre licet, quod Hebraicum verbum *Amartt*, alii *dixi*, alii *dico*, alii *dic*, alii *dicis*, alii *dixiſti* reddiderunt: ut reliqua taceamus. Vulgatæ verba jam adduximus: à qua recedens CASTALIO ita tranſtulit: *Quique Jovæ ſic dico: Cum tu ſis Dominus, bonorum meorum non indigus; ego me ſanctis, & nobilibus in terra verſantibus unice oblecto.* BEZA, *Vatablum* ſecutus, ſequenti ratione interpretatur: *Dic Jehovæ, anima mea: Dominus meus es tu, beneficentia mea non ad te. In ſanctis, qui ſunt in terra, & honorandis, omnis voluptas mea eſt ſita.* TREMELLII & JUNII verſio ita habet: *Dicis Jehovæ: Dominus meus es; bonum meum non es conditurus penes te: ſanctis, qui in terra ſunt, & magnificis collaturus es; iis, in quibus eſt tota oblectatio mea.* MUNSTERUS hoc modo ver-

* Pſ. XVI, 2. 3.

vertit: *Dixisti, o anima mea, Domino: Dominus meus es tu; bonum meum tibi nihil (addit.) Ad sanctos, qui scilicet sunt in terra, & ad virtute conspicuos, ad hos (inquam) tota mea (fertur) voluntas.* SEBASTIANUS SCHMIDIUS sic vertendum censet: *Dixisti Jehovæ: Adonai (Dominus) tu: bonum meum (seu beatitudinem meam quod attinet,) non est illud mihi propter te. Pro sanctis, qui in terra sunt, & magnificis, in quibus est omne beneplacitum meum.* Plurium versiones proferre brevitatis causa supersedemus: cum, quantis omnes difficultatibus laborent, ex his satis liquere possit. Ut enim priores in verba Dei aperte injuriosi sunt, *Amarti*, vel *Imri*, pro *Amartt* substituentes, & sic erroris Sacrum Codicem arguentes: ita posteriores incerti sunt, quomodo Ellipsin Verbi *Amartt*, cum Generis sit Fœminini, recte suppleant. Nam Vocativum, *ô anima mea*, plerique omissum censent: quasi Christus, cujus procul dubio hæc verba sunt, animam suam alloquatur, & quæ ipsa Deo dixerit, ei referat. Id quod quo fundamento statuatur, & num cum verborum, tum antecedentium, tum consequentium, nexu cohæreat, nostrum nunc non est disquirere. Silentio quoque reliquas difficultates, quibus maximis obnoxiæ hæ sunt interpretationes, præterimus. Jure saltem nemo succensere nobis poterit, si, in tanta interpretum dissensione, solius Scripturæ Sacræ vestigiis inhæreamus, & in verum certumque verborum sensum, qui non tantum Analogiæ fidei non repugnet, sed & scopo hujus Psalmi aperte congruat, verbaque omnia in nativa propriaque sua significatione relinquat, nec ullis locum præbeat difficultatibus, qua decet, ratione, in-

quiramus. Fiet hoc, si perpenderimus, quæ Auctori sancto ad hunc Psalmum scribendum occasio se obtulerit. Nimirum ille, ut solebat, Messiæ, hominis futuri, tempora, præmissis interpositisque precibus ferventissimis, secum meditans & perpendens; quanta tunc in gente Israëlitica esset cæcitas futura, & quanta pars illorum ipsum non receptura, sed impiissime repudiatura foret, revelante Spiritu Prophetico prospexerat. Hinc in versiculo primo hujus Psalmi Ecclesia verbis illius petit, ut à tali defectione, tantaque vi malitiæ custodiatur: *Custodi*, inquit, *me Deus*, (ne vel præsumtis opinionibus fascinata, vel auctoritate hominum abrepta, vel etiam formâ tuâ servili offensa, te abnegem aut rejiciam:) *nam confido tibi*, (salutis meæ causa in mundum venturo.) Hæc enim prima hujus Psalmi verba Ecclesiæ precantis esse existimamus: quæ autem sequuntur, Christi ad hæc verba respondentis esse, evidentissima probant argumenta. Hinc statim liquet, cur Fœminini Generis Verbum sit *Amartt*. Respondet enim petenti Messias Ecclesiæ; eique aperit, qualem Filiam Zionis sit inventurus, humano corpore indutus. Patebit hoc clarius, cum in lingvam latinam Spiritus Sancti verba simplicissime transtulerimus; subjectis annotatiunculis, quibus rationem, cur ita translata sint, de singulis reddamus. Sic autem Messias: *Dices*, (a) (ô Filia Zionis, (b) quæ nunc,

(a) Amartt, dices, pro dixisti.) *More Prophetis usitatissimo, qui pro Futuro Præteritum ponunt, ad rei eventuræ certitudinem designandam: vel quia Spiritu Prophetico, tanquam jam facta, futura præviderunt, Id quod si hoc loco non observatur, omnia obscura manent.*

(b) *Hoc* Filiæ Zionis *nomine Ellipsin Vocativi hîc supplendam esse, ostendit*

te confidere (c) mihi, profiteris) *Domino*, (d) (Messiæ, in corpore humano apparenti, & salutis viam tibi prædicanti:) *Tune*, (e) (homo tam ignobilis, tam contemtus, tam miser,) *Dominus* (f) (Messias sis, quem mihi Deus promisit?) *Bonum meum*, (g) (quod Patribus de futuro Messia promissum legimus,) *non super te* (h)

dit contextus. Respondens enim ejus, cui respondet, nomen subintelligit, nisi aliud expresse ponat. Aliud substituentes fundamento destituuntur.

(c) *Sic enim discipulis suis respondebat: Nunc creditis; sedecce veniet hora, & nunc advenit, ut dispergamini quilibet in propria, & me solum relinquatis*, Joh. XVI, 31. 32.

(d) (Lalhova) *Messiam, Mediatorem inter Deum & homines, cum quo Ecclesia loquatur, hîc significari, vix indiget probatione.*

(e) (Attah, Tune?) *Qui fabri lignarii es filius*, Matth. XIII, 54. 55. 56. Joh. VI, 42. *& cruci affixus*, 1. Cor. I, 23. *Interrogative hæc sumenda esse, ex sequenti patet Pronomine*, Attah: *quod non sine Emphasi Vocabulo Adonai postponitur, cum præponi soleat; prætereaque retractum habet Accentum*, A'ttah *pro* Attàh: *quæ duplex Emphasis non obscure interrogationem indicat.*

(f) (Adonai.) *Nomen hoc divinum, & in nominibus Messiæ esse, permulta Scripturæ S. loca comprobant: ut vocem* Κύριος *taceamus, qua in N. T. Christus passim vocari solet.*

(g) (Tobhathi, Bonum meum) *quod promissum mihi est per Prophetas, de Messia loquentes. Dicitur alias Bonum electorum DEI*, Ps. CVI, 5. *Bonum Jehovæ*, Ps. XVII, 13. *Bonum, quod annunciaturi essent evangelizantes, dicentes Zioni, regnare Deum*, Jes. LII, 7. *Bonum promissum Davidi*, 2. Sam. VII, 28. *nec non Gloria Israëlis*, Luc. II, 32. *Gloria Domini super Israële oriunda*, Jes. LX, 1. 2. *quam monstrari sibi Moses petiit, & vidit*, Exod. XXXIII, 18.

(h) (Bal alecha, non super te.) *Nam*, ut Jesaias ait, *non forma illi, neque honor. Vidimus eum, sed non erat species, cur desideraremus*

425 *eum*

(eſt, (i) ſicut typice ſuper populo ex Ægypto exeunte, & deinceps ſuper Propitiatorio in Templo fuit conſpicuum. Corona, non aurea, qualis Regum eſſe ſolet, ſed ſpinea ſuper te videtur: nec talem te cernimus, qualem Meſſiam animo concepimus atque expectavimus.) (*Num*) (k) *ſanctis* (l) (Sacerdotibus, quos ſanctos ipſe Deus declaravit; inprimis Phariſæis, ſanctitatis decore fulgentibus,) *qui in terra* (m) (hac Iſraëlitica, ubi ſedes veritatis & lucis divinæ eſt,) *ipſi* (ſunt

---

eum. Contemtus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus, & familiaris morbo, & velut homo abſcondens faciem à nobis, contemtus ita, ut non æſtimaremus eum. c. L. III. 2. 3. *Hinc, viſis licet miraculis, tamen ita interrogabant: Quod tu ergo ſignum edis, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris?* Joh. VI, 30. *Nec indignum notatu eſt, in hujus Pſalmi* ℣. 4. al ſephathai, *ſuper labiis meis, &* ℣. 6. alai, *ſuper me hæreditas pulchra, illi Judæorum* bal alecha *non ſuper te, à Chriſto opponi.* Joh. I, 14. 26.

(i) (Eſt) *Uſitatiſſimam Hebræis eſſe Ellipſin Verbi Subſtantivi* Eſt, *nulla indiget probatione. Quæ quamdiu locum habere poteſt, ad alias Ellipſes fundamento deſtitutas temere non eſt confugiendum.*

(k) (Num.) *Hic itidem Ellipſin eſſe* He *interrogativi, Hebræis frequentiſſimam, docet contextus.*

(l) (Likdoſchim, ſanctis.) *Sanctos hoc loco eſſe Sacerdotes, vult Pomeranus, ſvadet contextus, confirmant varia Scripturæ S. loca, ubi ſanctitas, nempe ceremonialis, internæ & ſpiritualis admonitoria, illis tribuitur.* Conf. Levit. XXI, 6. 7. 8. *Inprimis autem hoc loco Phariſæi innuuntur, quippe temporibus Chriſti ſanctitatis opinione ita tumentes, ut ſe ne tangi quidem à populo terræ (ſic plebem appellarunt) paterentur. Pertinent huc verba Jeſaiæ,* c. LXV, 5.

(m) (Aſcher baarez, qui in terra.) *Horum verborum, non ſine Emphaſi appoſitorum, hic ratio in aprico eſt: præſertim ſi* He *Emphaticum, Præfixo* Beth *extruſum, accuratius perpendas.*

Franckesche Stiftungen zu Halle

(n) (ſunt, (o) Eccleſiæ lumina, à Deo legitima vocatione præfecti, ideoque ſumma merito pollentes auctoritate:) & *Principibus* (p) (præfectis ac primoribus Sacerdotum, Synedrii magni aſſeſſoribus, ipſisque ſummis Sacerdotibus, Hannæ & Caiphæ,) *in quibus* (q) (ob eximiam doctrinæ præſtantiam, vitæ ſanctitatem, muneris dignitatem) *omnis voluntas mea* (eſt, adeo ut ab illorum pendentes ore, ſalutis noſtræ curam illis ſecuri relinquamus, nec putemus perire nos poſſe, ſi ipſorum verbis ſine omni dubitatione fidem habeamus: his, inquam, num videris (r)

Mes-

(n) (Hemmah, ipſi illi.) *Quod cum* He *Paragogico attentionem omnino meretur, & Emphaſin involvit. Nam Phariſæorum magna auctoritas, qua illis temporibus eminebant, hic indigitatur: quippe quibus erat lingva magniloqua*, Pſ. XII, 4. *Dicebant enim: Nos ſapientes ſumus, & lex Jehovæ eſt nobiſcum*, Jer. VIII, 8. *Lingvâ noſtrâ prævalebimus; labia noſtra nobiſcum; quis Dominus noſter?* Pſ. XII, 5.

(o) (Sunt) *Uſitata Ellipſis Verbi Subſtantivi. Sacerdotes autem & Phariſæi fuerunt ex tribu Levi, ideoque legitima vocatione inſignes.*

(p) Veaddire, & Principibus) *In ſtatu Regiminis, ſine ſequente Subſtantivo: quod itaque ex præcedentibus repetendum, ut Ellipſis ſuppleatur. Ibi verò ſanctorum, i. e. Sacerdotum & Phariſæorum, mentio eſt facta. Horum ergo Principes & Præfecti,* Ἀρχοντες, *Synedrii magni Senatores, quorum erat, de Prophetis judicare, his denotantur.*

(q) (Aſcher col chephzi bam, in quibus omnis voluntas mea,) i. e. *Quos ob eximiam ſanctitatem, & officii dignitatem, in pretio habeo, & in quos voluntas mea eſt propenſiſſima*, Act. V, 34. *Phariſæos enim in magna fuiſſe exiſtimatione, ex hiſtoria Evangelica ſatis liquet.*

(r) (Videris.) *Ita Ellipſin hîc ſupplendam eſſe, docet contextus, & vaticinii complementum. Nam communis prætextus fuit:* Num quis primariorum Sacerdotum aut Phariſæorum in eum credit? Joh.

426 VII,

Messias? Hi in te credunt? Nonne te Samaritanum, imo Beelzebub proclamant? (s) Nonne sub anathematis fulmine te Christum profiteri prohibuerunt? (t) En ergo vocem Judæorum temporibus Christi. Cui vero impiæ sui reprobationi Salvator opponit, quæ versiculo quarto sequuntur, & illorum vicissim rejectionem prædicunt: *Multi*, inquit, *erunt dolores illorum* (Sacerdotum, sanctitatem mentientium, & reliquorum Judæorum, qui eorum temere secuti fuerint auctoritatem. Nam ad) *alienum* (Regem, id est, Imperatorem Romanum, me repudiato,) *properabunt*, (tanquam ad refugium, idque summâ præcipitantiâ, ne forte e vinculis me Pilatus dimittat, uno omnes ore vociferantes; *se non habere Regem, nisi Cæsarem.* Qui vero Cæsar paulo post eos gravissime affliget, & quamplurimis acerbissimisque doloribus afficiet.) *Non libabo* (non offeram Deo, ut unicus Sacerdos, & solus Mediator, sed rejiciam) *libamina* (& omnem cultum externum) *illorum*, (qui me contumacissime blasphemabunt, & extirpatum ibunt,) *ex sanguine* (meo, quo effundendo manus suas impiissime polluent, Jes. I, 15. cujusque reatum ac supplicia, ut in se & posteros suos irruant, præfracte ipsi postulabunt, Matth. XXVII, 25. nullâ pœnitentiâ sequente: & meorum, quibus occidendis cultum Deo non contemnendum præstari sibi persvadebunt, Joh. XVI, 2.) *nec feram*

VII. 48. Ergone vere agnoverunt principes, quod hic vere sit Christus? Joh. VII, 26.

(s) Joh. IIX, 48. Luc. XI, 15.

(t) Joh. IX, 22. XII, 57.

ram nomina illorum ſuper labiis *meis*, (æque, ut illi *ſuper me* bonum ſuum videre noluerunt, ut in me crederent. Hinc dicam: *Lo ammi*, non hic eſt populus meus, Hoſ. I, 9. Non agnoſco vos; recedite à me, operarii iniquitatis, Luc. XIII, 27. Abnego, qui me abnegarunt, Matth X, 33.)

Ex his liquido apparere arbitramur, ea hic Meſſiam prædixiſſe, quæ, temporibus ipſius facta eſſe, expreſſis verbis Evangeliſtæ annotarunt. Cum igitur hæc interpretatio verborum proprietatem ſequatur, contextui & ſcopo Pſalmi aperte congruat, nec Analogiæ fidei ullo modo adverſetur: temeritatis, aut novitatis (Ecquid enim ſenſu Spiritus divini antiquius?) nos jure argui poſſe haud putamus; præſertim eventu huic vaticinio exacte reſpondente. Ecquem enim fugit, cauſam ἀπιστίας Judæorum non minimam fuiſſe, quod criteria Meſſiæ non bene diſcernerent, confuſo ſtatu Exinanitionis, quem vocamus, cum ſtatu Exaltationis? Nam plurimi ea tantum ſigna, quæ ad ejus gloriam & conditionem illuſtriorem pertinent, oculis ad cœleſtia cæcutientibus requiſiverunt: in iis vero, quæ humilitatem, & cruciatus ejus delinearent, talpis fuerunt cæciores; quia miracula, quæ præſentem illum indicabant, crucis myſterium, rationis humanæ captum longè ſuperans, deformarat. Hinc ad ipſam lucem caligarunt, & miracula deſiderarunt, in maxima copia miraculorum. Imo de ipſis Chriſti diſcipulis, cum proficiſcens Hieroſolymam, ad contumelias, ad ſputa, ad flagra, ad horrendum crucis ſupplicium ſe ire ſignificaret, expreſſe dicitur, *illos nihil horum intellexiſſe, ſermonem pro obſcuro habuiſſe, nec, quid diceret, perce-*

427

piſſe.

pisse. * Quali in eum animo ipsi fratres ejus fuerint, legi potest Joh. VII, 3. 5. Tanta cæcitas mentis est humanæ, Spiritu Sancto eam non collustrante! Tanta sunt impedimenta luminis divini! Inprimis vero auctoritatem Pharisæorum temere sequentes hisce tenebris imersi fuerunt. *In his enim Deus hujus seculi mentes à Deo avulsas excæcaverat, ut eas illustratio Evangelii de gloria Christi non irradiaret.* ** Cum enim ordinem salutis à Christo monstratum,*** quo resipiscere, & quæ Deus præcepisset, facere jubebantur,(*4) respuerent, ideoq; in morte spirituali permanerent: quid mirum, eos videntes non vidisse, nec audientes audivisse? Velamen cordibus impendebat: quod non, nisi ab iis, qui se ad Christum converterent, auferebatur. (u) (*5.) Nimirum ad vitam spiritualem est resur-

* Luc. XIIX, 34. ** 2. Cor. IV, 3. 4. *** Matth. IV, 17.
*4.) Joh. VII, 17.
(u) Quid velamen sit, bene explicat Apologia Augustanæ Confessionis: *Velamen*, inquit, *intelligit Paulus, humanam opinionem de tota lege, Decalogo & Ceremoniis, videlicet, quod hypocritæ putant, externa & civilia opera satisfacere legi Dei, & sacrificia, & cultus ex opere operato justificare coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc est, eximitur hic error, quando Deus ostendit cordibus nostris immunditiem nostram, & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus, nos longe abesse ab impletione legis. Ibi agnoscimus, quomodo caro secura atque otiosa non timeat Deum, nec vere statuat, nos respici à Deo, sed casu nasci & occidere homines. Ibi experimur, nos non credere, quod Deus ignoscat & exaudiat. Cum autem, audito Evangelio, & remissione peccatorum, fide erigimur; concipimus Spiritum Sanctum, ut jam recte de Deo sentire possimus, & timere Deum, & credere ei &c.* p. 84.
*5.) 2. Cor. III, 16.

ſurgendum, oculique fidei ſunt aperiendi, antequam videas. Sic enim Paulus: *Excitare, qui dormis, & reſurge e mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* * Quod qui nolunt facere, qui malunt in tenebris & morte perſeverare, quam ad vitam ſpiritualem, mente verè immutatâ, reverti; illis obſcura obtectaque manent, quæ alioqui clariſſima apertiſſimaque forent.

Patet ex his, quam miſera & dolenda eorum ſit conditio, qui literarum ſtudiis dant operam, neglecta vera ad Deum converſione: hoc eſt, qui in ſtudiis ſapientiæ verſari volunt non reſipiſcentes; & erudiri cupiunt, ruditatem non exuentes, imo eam mordicus tenentes, atque honeſtatis aut decori nomine defendentes; qui illuminari, & in cæcitatis tenebris permanere ſimul expetunt. Non enim hi magis cœleſtis veritatis radiis, quam ſolis ſplendore cæci illuſtrantur. Quæ igitur diſcunt, ea non intelligunt: fidem habent in ore, non in corde: agnitionem Dei verbis profitentur, factis abnegant. Summatim, non inveniunt in Chriſto, quod mentis vanitate cupiunt: hinc & ipſum, & vias ejus deſpiciunt; cupiditatum ſuarum mancipia, & Eccleſiæ, quamdiu tales manent, purgamenta. Perpendamus id hoc inprimis tempore, quo ſolenni ritu recitandæ Leges Athenæi noſtri redeunt. Nam qui ut cæci, qui ut mortui, qui velamine cordibus obducto acceſſerint; illi audientes nec audient, nec obſequi legibus, prout decet, cupient: qui vero è morte ſpirituali ad vitam, quæ ex Deo eſt, reſurrexerint,

428

* Eph. V, 14.

rint, & Spiritus Sancti gratiæ locum dederint; obſequium illis non denegabunt.

Adferamus ergo animos ad Chriſtum converſos, & Spiritus Sancti gratia immutatos: tunc nec dignis Chriſtiano fructibus ſolennitas, nec debito obſequio Leges, nec proſpero ſucceſſu ſtudia deſtituentur. Huic vero deſtinatus eſt Actui dies craſtinus, horis à IX. matutinis: ubi ſimul, curante *Viro Clariſſimo*, GEORGIO DANIELE SEYLERO, Con-Rectore & Collega noſtro Æſtumatiſſimo, juventus in claſſes ſuperiores evecta luſtrabitur. Ut ergo Proceres hujus Regiæ Civitatis, VIRI MAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMIQUE, DNN. BURGGRABIUS REGIUS, PRÆSES, PRÆ-COSS. ATQUE COSS. PATRONI ac NUTRITORES Gymnaſii ſubmiſſo obſervantiæ cultu proſequendi; nec non *Excellentiſſimi, Plurimum Reverendi, Prænobiles, Nobiles, Spectabiles, Præſtantiſſimi, Humaniſſimique, Fautores & Amici Honoratiſſimi*, præſentia ſua honorifica hanc cohoneſtent ſoleñitatem, qua decet, reverentia humanitateque rogamus. P. Elbingæ, XIII. Septembr. A. O. R. M DCC XXX.



Franckesche Stiftungen zu Halle

Franckesche Stiftungen zu Halle

Franckesche Stiftungen zu Halle